



**Antoninus Diana Panormitanus, Clericus Regularis, Doctor
Celeberrimus, Coram S. D. N. Alexandro VII. Episcoporum
Examinator, & Sancti Officij Regni Siciliae Consultor,
Coordinatus, Seu Omnes ...**

Diana, Antonino

Lugduni, M. DC. LXXX.

143. An Superiores Regulares possint reconciliare eorum Ecclesias consecratas, si Episcopus distet per duas dietas, vel defunctus sit, aut Episcopatum renunciauerit, vel si depositus sit? Et an ex ...

[urn:nbn:de:hbz:466:1-76442](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-76442)

queat simplici Sacerdoti committere: contrarium tamen tradunt Victoria, & Sa, credimus esse in praxi, non contradicente, sed potius concedente Pontifice. Hac ille. Quæ quidem sententia an sit probabilis, iudicent viri docti, videtur enim contra cap. aqua vbi supra, & consuetudo, & praxis, quam affert Syluius, est in contrarium.

RESOL. CXLII.

An regulares possint reconciliare eorum Ecclesias pollutas, & maximè si Episcopus distet per duas Dietas?

Et quid de aliis Sacerdotibus?

Et docetur in hoc casu differentiam esse inter Ecclesiam consecratam, & benedictam tantum, & eius reconciliationem.

Et explanatur Superiores Regulares ex privilegio posse reconciliare Ecclesias consecratas. Ex part. 4. tract. 4. & Mis. Ref. 91.

Supr. hoc in Resolution. non seq.

§. 1. **H**ic casus frequenter potest accidere, & affirmatiuè respondendum est per ea quæ adducit Homobonus de Bonis in exam. Eccles. part. 3. tract. 17. cap. 8. quæst. 27. resol. 2. Adde quidd Ecclesia si sit benedicta, potest reconciliari per quemcumque simplicem Sacerdotem, & cum aqua benedicta communi, contra Toletum, vt habetur in c. si Ecclesia, de consecr. Eccl. iuncta glossa; nec requiritur ad hoc Episcopi licentia, vt patet ex ipso textu ibi, protinus lauetur. quod non diceretur si oporteret expectare licentiam Episcopi, & ita docet Auila de censuris p. 8. disputat. 7. dub. 4. qui citat D. Antonin. & Henriquez, quibus ego addo Tamburinum de iure Abbatum, tom. 1. disputat. 23. quæst. 10. num. 11. Præpos. in 3. part. quæst. 83. art. 3. dub. 2. num. 163. Barbosa de potest. Episc. part. 2. alleg. 28. num. 57. & post hæc scripta omnia supradicta inuenio docere Laurentium Portel in dubiis Regul. part. 1. ver. Ecclesie Fratrum, num. 1. vbi tenet Superiorem Regularium posse reconciliare suam Ecclesiam aqua tantum à se benedicta, quod etiam concedit de Sacerdote seculari: secus autem dicendum, si Ecclesia fuerit consecrata, hanc enim, vt alibi dictum est, neque Regularem, neque alium Sacerdotem etiam de licentia Episcopi posse illam reconciliare testantur iura & Doctores. Vnde nescio qua ratione Episcopi possint interdiciere Ecclesias Regularium non consecratas, si polluta fuerint ab eorum Superioribus reconciliata. Nec valet dicere cum aliquibus quod Superiores Regulares tunc possunt reconciliare Ecclesias pollutas cum aqua ab Episcopo non benedicta, quando Episcopus distat per duas Dietas, secus autem minimè. Nam respondeo quod si simplex Sacerdos, vt supra visum est, potest reconciliare Ecclesias pollutas cum aqua non ab Episcopo, sed à se ipso benedicta, quare hoc denegandum est Sacerdoti Regulari? Equidem non video disparitatem rationis.

Supr. hoc in Ref. præterita, & in Ref. seq. & melius in Ref. 1. post seq. per tot. pro vtroque.

Supr. hoc in Ref. seq. §. 1. à ver. Quod si. & in alio §. not. secundum dicti §. 1.

Supra hoc magis late in Ref. seq. & in Ref. 1. post seq. §. Sed quid. & seq.

2. Notandum etiam quod post hæc scripta inueni Antonium Nouarium in sum. Bullar. tit. de pollutione Ecclesiarum, n. 7. docere Superiores Regulares ex privilegio posse reconciliare Ecclesias consecratas, & citat Grassium conf. 2. de consecr. Eccles. n. 18. Sed hoc, vt dixi, multi negant.

RESOL. CXLIII.

An Superiores Regulares possint reconciliare eorum Ecclesias consecratas, si Episcopus distet per duas Dietas?

tas, vel defunctus sit, aut Episcopatum renunciauerit, vel si depositus sit?

Et an ex privilegio possint Regulares solemniter benedicere suas Ecclesias, & Cæmeteria, si Episcopus nolit, aut negligat?

Et docetur, quid intelligatur, per duas Dietas.

Et explanatur, quod Dieta alia est vulgaris, alia vero legalis. Ex part. 6. tract. 6. & Misc. 1. Ref. 22.

§. 1. **A**ffirmatiuam sententiam docet Confessus, Vgolinus, Sayrus, Barbosa, Henriquez quos citat & sequitur Philibert. Marchin. de Sacram. Ordin. tract. 3. p. 3. c. 11. n. 14. vbi sic ait: Dico quartò Ecclesie reconciliationem habere locum solum in Ecclesiis ab Episcopo consecratis: in benedictis vero licet cuilibet Sacerdoti post pollutionem eas rebenedicere & purificare aqua ab ipso benedicta. Quando autem Ecclesie sunt consecrate, opus habent reconciliatione facta per Episcopum; qui non potest alteri etiam Vicario suo hanc facultatem delegare. Quod si Ecclesia polluta sit Regularis, & Episcopus per duas Dietas longè abesset, tunc ex concessione Leonis X. facta Mendicantibus, poterunt Superiores illius Ordinis, & reliqui communicantes in eorum privilegio prædictam Ecclesiam pollutam aqua per ipsos benedicta reconciliare. Quod ego semel feci Ticini in Ecclesia nostra Sanctæ Mariæ Coronatæ; & dum post factum multos haberem Curie Episcopalis Aduersarios, visis & inspectis hostibus privilegii, omnes siluerunt. Huc vsque Marchinus, cui adde Megalium in Prompt. tom. 2. verb. Eccles. num. 21. in fine. Auilam de censur. part. 5. disput. 7. dub. 4. concl. 3. in fin. licet aliqui quos ego notavi in 4. part. tractat. 4. resol. 91. contrarium sentiant: sed supradicta opinio videtur mihi satis probabilis; & illam præter Doctores citatos tenet etiam Layman lib. 5. tract. 5. n. 12. qui etiam docet ex privilegio posse etiam Regulares solemniter benedicere suas Ecclesias, & Cæmeteria si Episcopi nolint, aut negligant.

Sup. content. to in hoc vers. Dico quarto. & seq. 7. Quarto. in Ref. præterita §. 1. & in Ref. 1. post præteritam per tot. & infra Refol. seq. à §. 1. vbi que ad §. Sed quid. & pro Ecclesia Regulari in §. vt. Ref. præterite, & in Refol. seq. à §. Sed quid.

Quæ hic est Ref. antecedens §. 1. in fin. & infra in Ref. seq. Sed quid. curiam ad med. & Lovitium. & seq.

2. Notandum est etiam hic Regulares posse vti dicto privilegio, non solum quando Episcopus distat per duas Dietas, sed etiam quando defunctus est. Imò quocunque modo absit Episcopus, morte, renunciatione, depositione, &c. Ita Rodriquez in Quæstionib. Regular. tom. 2. q. 19. art. 3. Et post illum Perlicus de offic. Sacerd. l. 1. dub. 13. num. 121.

3. Et pro casu occurrenti in gratiam Regularium si aliquis ex ipsis nesciat, quid intelligat Leo X. in dicto privilegio; dum requirit vt Episcopus distet per duas Dietas. Respondeo Dietam significare iter diei, quod vulgò dicimus vna giornata; & ideo duas Dietas significare iter duorum dierum. Sed difficultas est; quot milliaria Dieta, seu iter vnus diei contineat; nam vt docet Gloss. e. nonnulli, de rescript. Dieta alia est vulgaris, & alia legalis: vulgaris metienda est secundum consuetudinem regionis; legalis vero viginti milliaria continet ex lib. 3. ff. de verb. signific. Hoc supposito Perlicus vbi supra de offic. Sacerd. lib. 2. dub. 13. num. 174. putat privilegium Leonis intelligendum esse de Dietis vulgaribus. Verum aliqui putant dictum privilegium intelligendum esse de Dietis legalibus. Et ideo præter Henriquez lib. 9. de Missa, c. 27. num. 6. & in Gloss. lit. D. cum eius privilegij Leonis X. meminisset, subdit in ead. Glossa, lit. F. Dieta continet viginti milliaria. Idem dicit lib. 13. c. 5. n. 5. in Gloss. litera D. vbi citat Mandosium, quibus adde Rodriq. in Quæstionib. Regular. tom. 1. quæst. 19. art. 6. in fine. Sed ego puto probabilius esse & securius in privilegio Leonis per Dietas intelligendas esse vulgares, secundum variorum Regnorum consuetudines: & credo quod in Sicilia Dieta continet iter 30. milliarium.

RESOL.